EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM POPULUMQUE

DIOECESIS ABELLINENSIS



ROMAE
TYPIS CRISPINI PUCCINELLI
MDCCCXLIV.

FR. JOSEPHUS MARIA MANISCALCO

AB ALEXANDRIA SICILIAE

SACRAE THEOLOGIAE LAUREA IN SERAPHICO ORDINE DONATUS

UNIVERSAE FAMILIAE FRANCISCALIUM MINORUM

MINISTER GENERALIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ABELLINENSIS

SS. DOMINI NOSTRI GREGORII XVI.

ANTISTES DOMESTICUS ET EJUSDEM SOLIO ADSTANS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTIS FILIIS
CANONICIS, PAROCHIS, SACERDOTIBUS, CLERICIS, COENOBITIS,
ORDINI ET POPULO DIOECESIS SUAE

Gratiam et Pacem a Deo Patre et Domino Nostro J. C.

FRANCISCALIUM Minorum Familiae regundae annum duodecimum vacans, et operam meam, quantulacumque est, in Episcoporum doctrina coram Summo Pontifice probanda, neque non in variis Consiliis S. E. R. Cardinalium navans, cum impositi oneris magnitudine defatigatus suavitate pacis in mea solitudine tandem aliquando gaudere cuperem; ecce mihi ex inopinato longe maxima procuratio data est, ut Sacris vestris praeessem Episcopus, *Ven. Fratres Filiique in Christ o carissimi*. Hic equidem licet animo exultare deberem, egregia erga me tum Serenissimi Ferdinandi II utriusque Siciliae Regis, tum Gregorii XVI Pontificis Maximi (quos diu Omnipotens Deus sospites conservet!), benevolentia; non possum tamen quin totus commovear, planeque reformidem. Nec sane immerito speculatorem domus Dei populique curatorem constitutum me virum tenuem et jamdiu in claustrorum quiete commorantem vidi et expavi. Is enim Episcopus esse debet, *qui exhortetur in exhortando, qui tribuat in simplicitate, qui praesit in solicitudine, qui misereatur in hilaritate, qui forma factus gregis ex animo in*

omnibus seipsum praebeat exemplum bonorum operum, *qui denique bonus pastor vitam ponat pro ovibus suis*, omni ab illis luporum impetu propulsato. Eccquomodo porro non timeam, haec omnia Pastoribus praecepta recogitans; ot item iis durum adeo indictum judicium, ut sanguis ovium, quae forte perierint, olim sit do manu eorum requirendus? Eccquomodo non exhorream Gregorium Magnum, Ambrosium, ceterosque sanctissimos Ecclesiae Patres audiens, tantos viros doctrina sanctitate vocatione, Pastoralis curae pondera delitescendo fugere voluisse? Accedit alia perturbationis ratio ex amplissimis Decessoribus meis nata atque profecta; qui sane ea virtute, ea doctrina, iis meritis excelluere, ut non me modo infirmum et humilem, sed summum quemque virum deterrere deberent. Instar omnium commemorabo ex veteribus Sabinum, Alexandrum, Modestinum pro mira sanctitate dignos habitos, qui in Beatorum Coelitum album referrentur: ex recentioribus vero cl. mem. Josephum Palma Carmolitici Ordinis decus, mihi amicitia, vobis comitatis pergrato experimento carissimum, quem uti vestra cum salute oblatum vobis apprime gratulabamini, ita paullo ante vestris comodis ereptum acerbissime deflevistis. Qui sane viri ita se mihi objiciunt, ut eorum amplitudine mea tenuitas obrui videatur. Tum denique, ut omnia fatear, vereor etiam objectam animo Abellini dignitatem, quae civitas plane celebris ot illustris, cum affluat hominibus genere virtute doctrina praestantibus, ab alio prorsus quam a me gubernanda videretur.

Sed enim quao mihi timorem facero sentio, eadem, si probe expendantur, faciunt et animum. Ac primum, cum in iis, quae Ecclesiao sunt, per Summum Pontificem Deus ipse loquatur, eam ingredi spom possum, ut Deus honoris auctor fiat etiam administrationis adjutor; et ne sub magnitudine oneris deficiat infirmus, Ille det gratiam qui contulit dignitatem. Quare *licet nos*, ut Magni Leonis verbis utar, *ad explendam nostri officii servitutem et infirmi inveniamur et segnes, dum siquid strenue agere cupimus, ipsius nostrae conditionis fragilitate tardamur*; *habentes tamen propitiationem Omnipotentis Sacerdotis ad omnia obeunda roborabimur*. Deinde illustris, quam dixi, Praedecessorum series, ea etiam in bonum aliquod concedit meum. Quippe excultum horum sapientia populum inveniam, et item mihi vestigia impressa, quae in pastorali munero pede inoffenso sequi possim. At deniquo illa ipsa, quao memoravi, ornamenta vestra, Abellinenses, ut magna spondent do vobis, ita me jucundissime solantur. Quid enim boni non expectandum ab iis, qui instituti rebus optimis ad omnem laudem sua sponte inardescunt?

Hisce ergo cogitationibus erectus, consilia per longum tempus ab mei Ordinis Seraphici gubernatione, experientia duce, collecta ad amplius ministerium convertens, meum ineo Episcopatus officium: vobis attendens, *Filioli mei, quos . . . . nunc parturio donec formetur Christus in vobis*, *quosque Dominus Jesus Christus acquisivit sanguine suo*: et cum nondum liceat coram (quamquam

animo et charitate jam versor inter vos) alloquor per opistolam nunciam illius quae me afficit voluntatis. Ac primum Pastorum Principis exempla secutus vobis universis pacem dico plurimam, pacem precor, eam scilicet, quao a Domino provenit, quam ipsa aeternitas tuetur, quamque mundus dare nequit, sed abundantia gratiae Domini nostri Jesu Christi in cordibus augetur. Tum animum aperiam meum, ut quid ego et expectem a vobis, et sim praestiturus pro vobis, jam nunc intelligere possitis.

Quod ad vos pertinet, equidem persuasum, ut dixi, habeo, memores ut estis fidei sanctissimae quam a patribus haereditariam divino munere accepistis, eam vobis honori maximo ducere, et porro ad ejus normam vestra omnia componere. Sed enim, filioli, *supercertate* (vorbis B. Judao hortabor) *semel traditae sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines impii, Dei gratiam transferentes in luxuriam, solum dominatorem et dominum negantes, qui quidem quaecumque ignorant, blasphemant; quaecumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: murmuratores, querulosi, mirantes personas quaestus causa. Vos autem, carissimi, superaedificate vosmetipsos super fundamentum sanctissimae vestrae fidei.* Audistis periculi rationem: audistis pariter, quo illud modo declinare possitis, fidem altius menti defigendo, quod rerum divinarum meditatione facile assequemini. Fides enim principium et regula bonorum operum est. Paranda igitur sedulo tum rerum fidei omnium, tum Dei potissimum germana cognitio; nec ea umbratilis, ut multis est, quaoque in nullos usus vertat, sed contra vitao formandae instituendaeque salutaris. Quaro, ut paucis cuncta complectar, toneto traditiones patrum vostrorum: animum sincera eruditione imbuite, inanibus scientiae quao inflat verbis posthabitis: tum catechesibus, concionibus, precibus, rerum sacrarum lectioni et meditationi oporam sedulam continentemque adhibete. Inde in vos illud confluet, quo in fide firmati coeli semitam perpetuo teneatis; et pax Christi quae exsuperat omnem sensum custodiet corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

Quod vero ad me; primum doleo, vehementerque angor, quod, quae vestra causa vollem, pro mea tonuitate perficere non valeam. Sed tamen, auctore Deo, Deipara vero Sanctisquo coelitibus Patronis, si quo modo vestris comodis servire possum, tota animi contentiono experiar. *Ego congregabo gregem meum. Et convertam eos ad rura sua: et crescent et multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos. . . . In pascuis uberrimis pascam eos. Quod perierat requiram: et quod abjectum erat reducam: et quod confractum fuerat alligabo, et quod pingue et forte custodiam, et pascam illos in judicio.* Agens enim partes Illius, cui salus omnium curao maximao ost, operam meam, quaecumque tandem ea sit, totam aeternae saluti vestrae devotam fore polliceor, et nihil quaeram nihil curabo magis, nisi ut quiqui dati sunt mihi vitam habeant

et abundantius habeant: neque in me Cleroque meo aliquid vos desiderare patiar, quod animarum vestrarum saluti faciat. Quem in finem, qui Franciscalium Familiam gubernans pro virili enixus sum, ut Rem Literariam universam verbis et scriptis excitarem, itemque aucto doctorum numero et libris ad rem editis amplificarem; in hac nova procuratione baec eadem enitar vigilantius; ut Ecclesiae administri ii sint, qui populos scientiam docere possint. Nam animo defixum est illud: *diligite lumen sapientiae omnes qui praeestis populis:* etenim sapientia mores excoluntur, vitia corriguntur, familiarum bona augentur; publica firmatur felicitas, et Principum securitas et populorum commoditas. Insuper partes clementiae et lenitatis agam vobiscum libentissime. Et dicam ex animo: *quis infirmatur et ego non infirmor?* miserrimi omnes filii Adae sumus: commune figmentum agnoscamus, invicem supportantes in infirmitatibus nostris, et sic implebimus legem Dei, cujus misericordiarum infinitus est numerus: quique *posuit in nobis verbum reconciliationis.* At vero severitatis persona, quam aegerrime sustinerem, ut numquam invito imponatur, vestra vos vita perficietis.

Hic scribendi finem fecissem nisi me meus amor singulis Ordinibus aliqua dicere impelleret. Verum *non ut confundam vos*, *haec scribo*, *sed ut filios meos charissimos moneo.*

Atque in primis ad vos festinat oratio mea, Cathedralis Ecclesiae *Dignitates et Canonici*, Senatus meus, et adjutores mei: qui praecipuo apud me in honore estis, semperque eritis. Vos claros Israel Seniores agitis, qui Moysen in gravissima procuratione et sapientia et opera juvarent; quippe Episcopo et agendi viam patefacere consilio, et subsidia ad agendum conferre alacritate vestra debetis. Haec ampla et gravis vestri officii ratio est, cui si numquam antea defuistis, nec umquam in posterum confido defuturos. *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, non praelationibus elati, sed ministerio soliciti in aedificationem corporis Christi, et ejusmodi, qui humilitate et charitate, in Ecclesia Dei fulgeamus. Nam pro Christo legatione fungentes, imaginem mansuetudinis Christi exhibeamus oportet. Haec porro spes conceptum, quem dixi, de meo munere timorem haud mediocriter levat. Ceterum in amplissimo ministerio laudum Dei canendarum, quod vobis cum Angelis commune est, versamini in dies accuratius. Psallite voce, psallite spiritu; et, quod primum et maximum est, factis vestris expressa luceant quae verbis celebratis. *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona*, *et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* Ita profecto, multis ad justitiam exemplo vestro eruditis, fulgebitis *sicut stellae in perpetuas aeternitates.*

Haec item pro debita proportione dicta sint vobis, *Collegiales Canonici*, qui magnam cum illis officii conjunctionem babetis, dignitate non ministerio inferiores. Vestri, quaeso, nominis memores, e sanctissimis Ecclesiae Canoni-

bus vitam instituite, unde et hominibus, et, quod pluris refert, Deo ipsi probari possitis. Cui Domino inserviatis attendite, quem populum custodiendum omnibusque virtutibus excolendum habeatis videto: si autem verbi Dei praedicatione, sacris precibus, exemplo, Ecclesiam Dei augeatis foveatis exornetis; magna merces in coelo et in terris promissa est vobis, Christo Domino dicente: *si quis mihi ministraverit*, *honorificabit eum Pater meus.*

Quibus nunc verbis alloquar vos, *animarum curatores*, qui pondus diei et aestus portantes solicitudini laborique meo comunicare debetis? Exploratum mihi jam quidem est, partes vestras vos tueri diligenter, et omni studio animarum saluti desudare. Sed enim sinite me pro rei gravitate stimulos addere alacritati vestrae. Quanta nunc vi, quanta malitiae ac impietatis audacia, quantis item insidiis christiana plebs impetatur, nemo est qui non videat planeque sentiat: quantum inde capiant in domibus, in plateis, ehu! in ipsis Dei Ecclesiis fideles plurimi detrimentum, diuturna rerum temporumque experientia docet. Atque adeo quid vos facere quid moliri conveniat, probe intelligitis. Excitanda scilicet et roboranda magis atque magis, ut hujus epistolae initio dicebam, in hominum animis fides. Id autem facillime consequemini, modo creditum curae vestrae populum verbi Dei praedicatione excolatis, arguentes, obsecrantes, opportune, importune, increpantes in omni patientia et doctrina, et animi fortitudine. Tum teneris praesertim puerorum mentibus germanam Dei, germanam Religionis, germanam omnium tum civilium cum christianorum officiorum, quae inde consequuntur, cognitionem ingeratis, quae certe in reliquam vitam magnos erit datura fructus. Eja ergo, Dilectissimi, viriliter agite, bonum semen in vinea Domini seminate, et uberrimos sanctitatis fructus absque dubio colligetis. Ita labores et curae plurimae, quae vestri officii sunt, amplissima quiete olim et veris gaudiis rependentur. Etenim Paterfamilias vos olim singulos amantissime compellans: *Euge*, inquiet, *euge serve bone et fidelis*, *intra in gaudium Domini tui.*

Neque vobis licet esse otiosis, *Ven. Sacerdotes*, nisi ministerio, quod geritis, deesse velitis. Primum omnium eniti vos convenit in eam sanctimoniam, qua reliquos christianos longo post vos intervallo relinquatis, quaque *cogitatione puri et actione praecipui* ex Magni Gregorii praecepto inveniamini. Sacerdotes e veteri lege, quod incensum et panes offerrent Deo, sancti esse jubebantur: *sancti erunt Deo suo*, *et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini*, *et panes Dei sui offerunt*, *et ideo sancti erunt.* Quanto ergo vos magis, qui Dei Filium tractare manibus et Patri offerre unico in terris exemplo debetis? Videto quod *qui dilexit nos*, ... *et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, *fecit nos regnum*, *et sacerdotes Deo et Patri suo.... Et regnabimus super terram!* Sancti ergo sitis, quia Deus qui vos elegit sanctus est. Tum insuper *pro homi-*

nibus constituitur (Sacerdos) *in his, quae sunt ad Deum ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Ergo pro hominibus vires omnes intendere vos oportet, ut in tradito officio *Sacerdotes fideles inveniamini.* A vobis mediatio pacis absolvenda sacris rite sancteque peractis: a vobis concilianda fidelibus Dei ac Deiparae misericordia precibus continenter dignoque fusis: a vobis etiam imbuendus christiana sapientia populus catechesibus et concionibus scito habitis; omnes denique a vobis vitae exemplo ad virtutem excitandi. Ita Domini vinea, ad quam operarii missi estis, exculta probe ac recte, fructus vobis aeternae felicitatis feret.

Quo autem operarios hujusmodi perennes habeat, ad vos per me convertit orationem Ecclesia, *Seminarii Alumni, Clericique universi*, ut prima hac aetate, qua teneri adhuc inflecti facile quocumque potestis, ad virtutem et doctrinam adplicetis animum. Hoc enim duplici clypeo muniti praeliari praelia Domini fructuose poteritis; sed hisce contra deficientibus, inepti rei nec aliis proderitis, nec vobis consuletis. Florete quasi lilium, et date odorem, et crescite in gemmas et frondete in gratiam, adolescentes inclyti, electi ex millibus de filiis Israel. Filioli mei quos admodum diligo, vocati, ut estis, in sortem Domini, Dominum semper in oculis, in mente, in ore habeatis, nec umquam seu carnis illecebris, seu hominum malorum exemplis, seu denique diaboli artibus ab Eo vos divelli patiamini. Quam ob rem juvorit plurimum tenere eam, quae vos regit, disciplinam; nec latum unguem inde discedere, nam *qui disciplinam abjicit, infelix est;* sed ista duce, periculis remotis, vos virtutis culmen assequemini. Quod reliquum est, scientiae parandae intendite omnes quas potestis vires. *Scientiam repulisti a te?* (ait Deus per prophetam) *et ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Videte, filioli, spes mea, atque consolatio mea dulcissima, videte, decus et ornamentum sponsae meae Ecclesiae, videte, oculorum meorum pupilla pretiosissima, quanti habenda doctrina sit, qua sine Deus vos ab se repudiaret? Ego igitur quamquam compertum habeam studiis vos impense vacare, nullo tamen tempore desinam currentes, ut ajunt, incitare, et majora ad discendum subsidia conferre, uti alias a me factum commemoravi. Haec de me spondeo vobis: vos autem hisce curis non defuturos, concepta de vobis opinio suadet.

Magnas quoque spes facitis mihi, *Ven. Coenobitae*, qui subsidia praeclara Episcopis omni tempore dedistis. O! vos, electa gregis mei pars, quos in sinu meo porto charitate magna, quique in ubertate domus Dei manetis, inde alacres exite operarii in vineam Domini, verbo et exemplo ex majorum institutis auxilio mihi in opus ministerii futuri. Superiora vestra in Rem Sacram et Publicam merita ea esse constat, quae plurima et maxima debeant existimari; et adeo apertissimae calumniae, qui iis detrahant, revinciuntur. Sed enim

haec eadem communi cum salute in praesens etiam et in posterum propagetis; nt qui ex adverso sunt vereantur nil habentes malnm dicere de vobis, et sive in precibns pro populo fundendis in solitudine domus Dei, sive in operibus publicae ntilitatis peragendis, nullo unquam tempore a Patribus vestris degeneres inveniamini, sed imo meliora in dies charismata aemulantes.

Pergrandi nunc exultatione vos alloquor, *Virgines Sacrae*, odor suavissimus Ecclesiae Dei, et ornamentum et decus, quarum in precibus magnum mihi adjumentum collocavi. Vos, domo, parentibus, conjunctisque relictis, eo consilio in claustra confugistis, nt solutae omni cura Deo totae vacare possetis. Optimam sane partem elegistis, quae non anferetur a vobis, modo gratiam quae data est, nullo tempore negligatis. Virginitatem, qua Dei Angelos prope exaequatis, accurate defendite: paupertatem, qua rerum humanarum impedimentis vacatis, religiose tueamini: obedientiam, quae via in Coelum est, arctissime tenete. Ceterum, o Virgines Sanctae, quas Dominus duxit in solitudinem, ut loquatur ad cor, cnm sponsns et rex vester, qui pascitur inter lilia, concupiverit decorem vestrum, estote quasi columbae, quas in scissuris petrarum delitescentes quaerit sponsus et invenit: pennas columbae habetote, columbae deargentatae: ad coelum vota, ad coelum suspiria; quia gloria carnis tamquam flos agri; omnis gloria vestra in Deo ab intus. Ita, sponso adveniente, paratae ad coelestes nuptias intrabitis. Quod restat, pastorem et patrem vestrum omni vi precum Christo Jesn Domino nostro commendate.

Nec vos praeteream, *Puerorum Puellarumque Praeceptores* quorum in manibus benemerendi de omnibus facultas est posita; siquidem optimos et Reipublicae cives, et familiis liberos, et Ecclesiae ministros parare pia solertique institutione potestis. Id autem revera praestabitis, quando vestrae disciplinae traditos adolescentes nedum ad bonas artes, verum etiam ad religionem informandos curaveritis; et vita vestra iisdem tanquam absolutum exemplar proponi queat. Ministerium vestrum considerate: magnum, grandi vigilantia, sapientiae depositum servate in aedificationem, non in scandalum. Sed attendite. Ecce *timor Domini ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia. Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiae successus habebit. Quae enim desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta.... plena misericordia, et fructibus bonis.* En, solertissimi praeceptores, formam sapientiae, cujus vos doctores esse debetis cum vestra omniumque salute.

Sed jam vestrum ordinem compello, *Proceres, et Optimates*, ut pro meo munere pauca admoneam, quibus amplitudinem vestram melius tueri valeatis. Vobis utpote senioribus populi, curae sit traditiones et instituta majorum custodire, viduis atque pupillis tutelam facere, infirmos et debiles susti-

nere, populique universi decorem servare. *Magistratus*, diligite justitiam; quippe et vos die novissimo judicaturus est Christus. Item sapientiam diligite: *erudimini qui judicatis terram.* Si vere utique justitiam loquimini, recte judicetis inter justum et iniquum. *Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate. Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate. Quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Bonus judex*, inquit Divus Ambrosius, *nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis; sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriae voluntati; nihil paratum et meditatum domo refert: sed sicut audit ita judicat; et sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causae merita, non mutat.* Vos autem, *Viri Patricii*, virtutem sectaminor, in qua tandem vera magnitudo continetur: nec vos alia de causa elatos ceteris arbitremini, nisi ut iis exemplo vitae praeluceatis. Vos denique, *Divites*, misericordiam facite: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi aerugo et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt et furantur.* Verum *pauperi porrigite manum, ut perficiatur propitiatio et benedictio vestra.* Ita vobis amicos parabitis, qui corpore solutos in aeterna tabernacula recipiant.

Ceterum, quotquot estis, filii mei, quos gaudio et coronae mihi fore confido, vos etiam alloquar iterum, uti singulis monita salutis impertiar: *Senibus*, ut loquantur *quae decent sanam doctrinam.... ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia*, nam *corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei*: *Adolescentibus*, ut casti, pudici, subditi senioribus sint, atque in medio magnatorum non praesumant: *Mulieribus*, ut in habitu sancto incedant, non criminatrices, non elatae: *Parentibus*, ut filios ad virtutem informent; et contra *Filiis* ut se parentibus regendos relinquant. *Judicium patris audite filii, et sic facite, ut salvi sitis*: *Viris* ut uxores suas diligant; *Uxoribus* ut viris pareant: *Dominis*, ut curam servorum habeant in Christo; *Servis*, ut dominos colant famulenturque ex animo: *Omnibus* denique, ut fidem teneant, eamque operibus complere studeant. *Vos autem*, fratres, *non estis in tenebris... omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus.* Tum integritate morum et suavitate pacem cum Deo nostro perpetuo servantes, fideles obedientesque ex animo potestatibus, quibus subjicimur, quaeque a Deo sunt, continenter inveniamur. *Ad tramitem* (verbis utar Attonis) *verae pacis, idest Domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque Patrum exempla vel documenta, sincera mente conveniamus fidelitatem regiam, ut ipsos docere cognoscimus, firmiter teneamus; nosque in Dei omnipotentis servitio, nostrique Senioris obsequio, ac fidelium confratrum suffragio paratissimos instituamus, et quoscumque possumus ad haec omnimodis invitemus.*